

II 401 sq., 406); quibus addidit Hartung Orestem drama satyricum, totam tetralogiam anno 408 scenae commissam esse ratus (vid. schol. Eur. Or. 371 *Διοκλέους, ἐφ' οὗ τὸν Ὀρέστην ἐδίδαξε*). Sed quamquam Orestes fabula plus semel in scholiis (1369, 1384, 1512) propter sermonem sacco magis quam cothurno convenientem vituperatur (vid. etiam hypoth. Orest. et Alcest. apud Schwartz I 93, 9, II 215, 1 sq., schol. Or. 1691) et Menelai Helenaëque actio aequo saepius vitam cotidianam redolet, nullo modo satyricum drama appellari potest, id quod ne ambitus quidem (1700 fere versuum) admittit. Argumento utitur Hartung schol. Or. 1492 (Dindorf, Schol. in Eur. Trag. II): — — — *ὡς καὶ ἐν τῷ τρίτῳ δράματι οὗτός φησιν ἐν τῷ χορῷ τῷ „Κάδμος ἔμολε“* (Phoen. 638), unde primo aspectu colligendum videtur Phoenissas tertiam fuisse fabulam eiusdem tetralogiae ad quam Orestes quoque pertinebat. Quod refutavit Wecklein (in Phoeniss. editione p. 20 sq.): verbis *τρίτον δράμα* in illo scholio Byzantino designari Hecubae, Orestis, Phoenissarum syllogen Byzantinam; quem ordinem etiam codices praebent (cf. Wilamowitz, Einl. in die griech. Trag. p. 196 sqq.; Murray, Eurip. Fab. I Praefat. p. VIII).

Hypsipylam, Phoenissas, Antiopam non esse habendas pro trilogia apparet etiam ex hypoth. Phoen. (Schwartz I 244): † *ἐπὶ Ναυσικράτους ἄρχοντος ** δεύτερος Εὐριπίδης ** καθῆχε διδασκαλίαν † περὶ τούτου καὶ γὰρ ταῦτα ὁ Οἰνόμαος καὶ Χρυσίππος † καὶ σφῆται*, „quibus verbis quamvis truncatis hoc certe docemur, Oenomaum una cum Chrysippo et Phoenissis actam esse“ (Nauck F. T. G.² p. 539), quae dramata anno 409 acta esse Dieterich putat (Pauly-Wissowa VI 1, p. 1262), inter annos 411 — 409 Wilamowitz (Anal. Eur. p. 173, cf. ib. p. 156, 46). Alii autem ex hyp. Phoen. nihil amplius colligi posse nisi ad eundem fabularum orbem pertinere Oenomaum, Chrysippum, Phoenissas autumant (Wecklein l. l. p. 28 et Schwartz l. l.; vid. contra Robert, Oidipus II p. 133).

Antiopam et Hypsipylam cum Oreste anno 408 datas esse existimat Dieterich (l. l. p. 1266), sed cum de trilogia Oenom., Chrys., Phoen. non constet, qua Dieterichi opinio nititur, incerta haec coniectura est.

Phoenissas et Antiopam annis 410—408 tribuit Robert (Herm. 44, 401 sq.). Phoenissae cum ante Antiopam scriptae sint (cf.